

cissimum Virum quantum, et ubicunque potuerunt, non solum odio persecuti sunt, et etiamnum magnis afficiunt contumeliis, sed et, si in eorum fuisset potestate, illum eiusdem mortis, nisi grauioris, qua *Pragensem Doctorem Orthodoxum, IOANNEM HVSSVM, Constantiae* combustum, multarunt, reum accusauissent, quod uero singulari Dei gratia et beneuolentia erga coetum recte sentientium procul ab eo abfuit. Eadem fata fere omnes Christi legati primique eius cultores Iudaeos inter et gentiles sunt perpeffi. Nam horum populorum sapientes plebi persuadebant, illos uiros *Sectarios*, et eorum dogmata noua, quae profitebantur, falsa esse, ne igitur omnes castra ipsorum his doctrinis commoti relinquerent, et ad ueri Dei cultores confugerent, Imperatores ut et Senatus Iudaeorum summus illos ad crudelissima supplicia condemnabat, nisi doctrinas ipsorum profiterentur. Optimum hac de re testimonium nobis *PAVLVS* praebet, ad *FELICEM, Praetorem Romanum*, sequentem in modum uerba faciens, ut negaret se noui quid credere: a) ὁμολογῶ δὲ τῷ σοι, ὅτι κατὰ τὴν ἰδὸν, (quae loquendi formula e lingua Ebraea petita et explicanda est, ibi enim uox כִּי b) et phrasis לכת בדרך c) saepe numero pro uero summi Iehouae et falso idolorum cultu sumitur,) ἢν λεγῶσιν αἰρεσίν, ἔ- τῶ λατρεύω τῷ πατρίῳ Θεῷ πιστευόν πασι τοῖς κατὰ τὸν νόμον, καὶ ἐν προφῆταις γεγραμμένοις. Cum itaque ueritati consentanea est sententia, quod mundas hos homines, qui aliquid noui uel inuenerunt, uel quicquam in disciplina quadam mutarunt, odio prosequitur, quid mirum

a) Act. XXIV, 14.

b) Gen. VI, 12. כִּי הַשָּׁמַיִת כָּל בָּשָׂר אֶת דַּרְכּוֹ

c) 1. Reg. XXII, 43. וַיֵּלֶךְ בְּכָל דֶּרֶךְ אָבִיו לַעֲשׂוֹת הַיָּשָׁר בְּעֵינָיו  
וַיַּעַשׂ הָרַע בְּעֵינָיו  
יְהוָה וַיֵּלֶךְ בְּדֶרֶךְ אָבִיו וּבְדֶרֶךְ אִמּוֹ  
collato cum huius capitis uersu 53.